



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 1. De testium numero, & qualitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

## §. I.

## De testium munere, &amp; qualitate.

I. **E**sse testis potest, quemcunque leges non prohibent. Prohibent autem septem hominum genera his verbis expressa.

*Conditio, sexus, ætas, discretio fama, Et fortuna, fides, in testibus ista requiruntur.*

Explico. I. *Conditio* excludit seruos pro vel contra dominos suos. Audiuntur tamen, quando alii defunt, etiam in criminalibus, sed cum tormentis. Regularis etiam, & clericus absque superioris sui licentia testimonium ferre non potest: si tamen fecerit, effectum habebit, etiam si ad id coactus fuerit. *c. Cum nuntius de test.* Excipe, quando agitur causa ecclesie sue. Tunc enim testis esse quilibet potest modò commodum, & utilitas non respiciat singulos, sed universitatem. *iuxta c. modo citatum.* ubi *Barbosa* addit, & clericum, & Monachum compelli posse contra eandem ecclesiam, monasterium, vel similem communitatem testificari. Id namque æqualis litigantium conditio exigere videtur.

II. *Sexus* non permittit mulieres testari in qualibet causa. Ius civile in civilibus & criminalibus admittit. *l. Ex eo Tit. de testib. in codicillis* quoque, & ultimis voluntatibus, non tamen testamentis, & feudalibus §. *Testes. Inst. de testam.* Iure Canonico admittuntur in civilibus & spiritualibus *c. forus. de verb. signif. c. Mulier. 33. q. 5.* In atrocioribus quoque &

exceptis, hæresi, simonia, crimine læsæ maiestatis, falsificatione monetae, prodicione patriæ, & similibus. *Ius. Cod. 196. Franc. Marcul. Decis. aur. Par. 1. q. 902.*

Addit *Barbosa* in *c. Quoniam 3. de testib.* mulieris testimonium admitti contra clericum, quando de crimine agitur, sed civiliter in criminalibus causis quoque recipi, ubi ex natura negotii veritas sciri aliter non potest. Generale enim est, testes inhabiles admitti, cum ex facti qualitate alios habere non licet. *Navar. 25. n. 49 Zerola. Par. 1. v. Testis. n. 11.*

Quomodo autem mulier non trahi ad iudicium, sed ad eam mitti notarius debeat, habet in *c. Mulieres. de iudic. in 6.* aliter quod factum fuerit, irritum, & inane erit. *v. Damhaud. c. 50.*

III. *Ætas* tenet impuberes, & minores. Etenim in civilibus causis pubertas in criminalibus viginti annorum ætas requiritur. *l. Insti. 2. de testib. c. Testes. 2. q. 3. Ratio,* quia ætatis nondum confirmatae imbecillitas discretioni & constantiæ obest. Excipe causas modicas, & exigui pretii.

IV. *Discretio,* cui nimirum mentis impotentia inimica. Quis enim amens, aut furiosus in partem iudiciorum admittatur? *c. 1. hoc tit. l. 2. & 3. §. lege Julia Tit. eod.* Certe iuramenti incapaces sunt. *l. 4. Tit. de in litem iurando.*

V. *Fama.* Huius defectu qui infames sunt, locum inter testes non habent. Unde quamvis ad testimonium ferendum mulieres admittantur, de honestis tantum intelligitur, inhonestæ, ut meretrices, & quarum viri lenones sunt, excluduntur. *Damhaud. c. 39. n. 26. Lancel. l. 3. tit. 14.*

VI. *Fer-*



VI. *Fortun.* Cum ita vilis quisquam, & pauper, ut merito timeatur, ne pro testimonio falso pecuniam admittat, à testando excludendus est dicitur autem pauper, qui non habet 50. aureos in bonis *Ferrar. Pract. p. 129.* Ob eandem causam Romani olim ad senatum non admittentur, nisi patricii ordinis, & qui sestertium octoginta millia possideret. *Menocho. tamen casu 65.* in totum excludi pauperes à testando, iniquum putat.

VII. *Fides.* Infidelis enim contra fidelē testis non admittitur, propter odium & invidiam, quæ præsumitur. Ob eandem causam ab omnimunere, & officio publico remouentur Iudæi. *c. Cum sit. 16. de heret.* Quod aliqui extendunt ad eos quoque qui recens baptizati sunt. *c. Constat. 17. q. 4. Melon. Tit. 46. n. 82. & seq.*

III. Præter hos alii multi repelluntur, de quibus fute *Bart. & Lanfran. in Tract. singul. Sylv. V. Testis. & Barb. in c. In nomine & c. Licet universis. de testib.* Primo igitur propter vilitatem, & indignitatem reiciuntur adulteri, banniti, blasphemus, calumniator, condemnatus, incarceratus propter crimen, ex quo infamia manat, concubinaris manifestus, decoctor, ebriosus, fustigatus, & ad triremes missus, hæretici, histiones, lenones, iutores, malefici, meretrices, usurarii, & sodomitæ. Nam eiusmodi crimina, qui non timet, multò minus mendacium, & perurium fugiet. *Secundo* propter singularem coniunctionem prohibentur esse testes consanguinei, & affines, pro vel contra suos affines, & consanguineos. ut pater pro filio, vel contra filium, & vice versa. Similiter ascendentes & descendentes, patrini item, eorumq; filii. In correctio-

ne tamen, prohibitione peccati, & illuminatione fidei admittuntur. In matrimonialibus causis etiam pro liberis admittuntur parentes. Potest denique iudex quosdam ex prædictis aliquando pro causa qualitate admittere, quando videlicet vel abesse immodicum affectum videt, vel alii magis idonei desunt. *Tertio* non admittuntur, qui sunt de familia actoris, seu domestici. *c. testes. v. Etiam in iure civ. & V. Testes. 4. q. 3. l. pen. Tit. hoc tit.* Nota Domestici proprie vocantur, quibus imperari potest ratione patriæ, vel dominicæ potestatis. *V. Tusch. Concl. 201.*

Limita 1. in domesticis alicuius episcopi, & alterius illustrissimæ personæ. 2. in domesticis iam expulsis. 3. in famulis non habentibus salarium. 4. in domesticis magnæ auctoritatis, & vitæ honestioris, 5. in domestico utriusque partis. 6. in domesticis domesticorum 7. in domestico testificante contra productorem. 8. in domesticis productis ad defensionem rei inquisiti, & ad illius innocentiam. 9. in domesticis testibus instrumentariis: item in testamentariis. 10. in casibus difficilis probationis. 11. in crimine hæresis. 12. favore ecclesiæ in civilibus. 13. in probatione consanguinitatis. 14. in probatione ætatis. 15. probatione furoris. 16. in fractis antiquis. 17. parte non opponente. 18. quando ex natura rei veritas aliter investigari non potest. *V. Barb. in c. In iuris. de testib.*

IV. Propter suspectam fidem & præsumptionem corrupti affectus reiciuntur 1. homines vagi, & ignoti. 2. socii & complices, præterquam in criminibus, exemptis. 3. actores, respondentes, procura-



tores, & advocati in prima instantia causæ non possunt esse testes in causa appellationis. Quarto laici non permittuntur contra clericos testari in criminalibus, nisi prosequantur suam, vel suorum iniuriam. *c. de cetero de test.* Est enim violenta præsumptio illos clericis infestos esse. *Tuschus concl. 194.*

Limita 1. In crimine notorio. 2. in probatione famæ. 3. Si crimen commissum sit in loco, in quo alii præter laicos haberi testes non possunt, 4. si de clerico alicuius defensione agatur. Denique in criminibus exceptis nemo non admittitur. *V. Lopez. in præf. Bernardi Diaz. c. 4. Dambaud. c. 50. Vallens. l. 2. tit. 10. §. 2.*

Observandum magnoperè est, quod *Vallensis* & *Zypæus* monent, hodie moribus receptum esse, ut neminem testari volentem iudex repellat; quia nimirum expedit ad bonorum securitatem, & malorum oppressionem, ut quacunque via, & modo noxæ detegantur & abigantur. *c. ut fama 35. de sent. excomm.*

V. Rogatus ad testificandum à legitimo iudice, tenetur sub mortali peccato manifestare, de quibus secundum ordinem iuris interrogatur, hoc est, de factis manifestis, & quæ iam semiplenè probata sunt, vel præviam infamiam habent. Iudex enim potestatem habet legitimè interrogandi, cuius ut sit effectus aliquis requiritur, ut testis ad respondendum obligetur: imò cogi non posse laicos tantum, sed clericos quoque, & religiosos docet. *Roderiq. 10. tit. 11. c. 11.* & quando vacillant, aut tergiversantur ad eruendam veritatem torturæ subiici. *c. quanquam 24. q. 2.*

*Rainerus apud Sylv. V. testu q. 8. Anton. p. 2. tit. 1. c. 19.*

Dixi primo teneri sub mortali peccato, quia contra obedientiam & charitatem ageret, non tamen contra iustitiam, nisi alteri grave damnum inferret. secundo, de manifestis. Nam si sciat præter se alium nullum testificari posse, non tenetur sibi soli notum crimen revelare: neque ex eo posset condemnari reus, sed torqueri tantum. *Soto l. 5. q. 7. art. 1. Sanch. l. 6. Conf. c. 5. d. 8. Nav. c. inter verba n. 70. o. 7. 7. & seq. in manu. c. 17. n. 133. Less. c. 30. d. 6. Card. Lugo disp. 39. scilicet. 2. n. 10. Laym. l. 3. tract. 6. t. 4. n. 8.*

VI. A dicendo testimonio excusantur 1. Episcopi, sacerdotes, & clerici. *c. quanquam 14. q. 2.* ubi *Glo.* excipit casum, quo laici testes deessent: tunc enim iubente Episcopo testatur clericus. 2. illi quibus secretum commissum est, quibus ex testimonio dicto grave damnum timetur. 3. senes, & valetudinarii. 4. milites, intellige, non otiosos, & desidiosos, sed qui in malitia vivunt. 5. qui reip. causa absunt. 6. quibus venire propter impedimenta non licet. Denique nemo tenetur, cum reus non laborat infamia, cum inquiritur generaliter, vel probari delictum non potest. *c. si qui testium h. t. l. 4. tit. de testib. Glo. in c. si qui testium h. t. Glo. in l. inviti tit. de testib. Panorm. in di. c. n. 4. & 7. Alberic. in l. iusiurandi n. 4. C. de test. Gaill. l. 1. obs. 100. Laym. l. cit. Tolet. l. 5. c. 59.*

VII. Ad iudicalem sententiam regulariter non sufficit unus testis. *c. Nihilominus 3. q. 9. c. tam literis h. t. c. licet causam de probat. c. bona de el. c. in omni negotio h. t. ubi Barb. agmen DD. cogit, monetque*



que ampliandum *Primo*, ut nec staturo nec consuetudine, nec à principe aliquo neque à Papa permitti aut constitui possit, ut unico testi plena adhibeatur fides. *Secundo*, valere etiam in teste, qui senatoria aut præfidiæ dignitate præfulgeat. *Tertio*, nec Regis, nec Pontificis testimonium sufficere ad infligendam ultimi supplicii pœnam. *specul. hoc tit. Zafum l. i. consil. l. Melonius in The. iur. Feud tit. 46. n. 129.*

*Dixi non sufficere regulariter unum testem* quia multæ exceptiones sunt. Nam. 1. unus testis sufficit, quando partes consentiant. 2. quando testis de re sua loquitur, vel contra producentem. 3. quando non agitur de præiudicio alterius. 4. cum agitur de probando clericali. 5. in causis modicis. 6. in matrimonio impediendo, antequam contrahatur. 7. quando concurrunt præsumptiones, & certa indicia. 8. officiali soli creditur, cum se nuntiasse, vel citasse dicit. 9. quando difficile & quasi impossibile est, habere plures testes. 10. in probatione confessionis penitentialis. 11. in probanda ignorantia verisimilis causæ. 12. in probanda qualitate alicuius rei. 13. in probanda innocentia. 14. in probatione appellationis à sententia. 15. in probando possessorio. 16. in probanda bona fide. 17. in probanda absolutione ab excommunicatione. 18. in probanda mala fide. 19. in probando mendacio, aut maleficio. 20. quando agitur de excusando querelantem ab expensis. 21. quando probatur, aliquem esse baptizatum. 22. in probanda consecratione Ecclesiæ. 23. in teste, qui deponit de facto, quo

ipse tractavit, ut mediator, quia plene probat. 24. quando unus testis contra suum commodum testatur. 25. in probanda scientia. 26. in Papa Cardinalibus & Episcopis. *quicumque* 11. q. 1. 27. in probando valore beneficii. Denique unico testi in arte sua creditur. *Gutier. l. 3. q. 12. Card. Lugo disp. 39 sect. 2. Chistlerius de iudiceregularium c. 17. Silv. v. testis n. 5. Zerola eod. Fuschus conclul. 281.*

VIII. Duo igitur testes iurati in qualibet criminali capitali causa ad plenam probationem necessarii sunt, & sufficiunt iure gētium & positivo ut omnes fateantur: sed de iure naturali quæstio est, an per hoc simpliciter duo testes necessarii sint, ita ut contra iustitiam peccet, qui unius testimonio contentus condemnationis sententiam pronunciat? non esse facile persuadeor cum *Lessto c. 30. dub. 4. n. 25.* iustitia enim aliud non exigat, quam ut nemo condemnatur, nisi certo de ipsius crimine constet. Nam propter hoc ipsum iure gentium minimum duo testes requiruntur, quia præsumitur maiorem in duobus notitiam & veritatem inesse. Fieri autem potest, ut ipse iudex, vel princeps delictum evidenter noverit, ut pote à se visum. Non fiet ergo iniustitia reo, si propterea ad supplicium condemnatur. Hoc tamen iure communi non permittitur: quia non videtur expedire, tantam uni homini potestatem concedere, ut ex sua unius scientia quempiam condemnet. In raris tamen quibusdam eventibus supremo principi licere illud, si quis, contra aliquorum opinionem non audeat concedere an non in civilibus, ubi de bonorum ademp-



demptione, vel diminutione agitur anuendum sit, consideret.

IX. In leuioribus causis unum testem sufficere n. 7. diximus. E contra in multis plures duobus necessarii testes sunt. Ad condemnandum Episcopum Cardinalem requiruntur, 72. ad presbyterum Cardinalem 64. vel potius 44. ut *Lugo monet d. 36. s. 2. n. 17.* Cardinalem 27. ad clericum Romanum 7. c. *præsul 2. q. 5.*

Cur hoc, inquit? Quia prædictæ personæ in magna apud alios inuidia laborant, quorum videlicet magistri, & iudices sunt: & illorum facilis damnatio ecclesiasticæ dignitati multum derogaret. *Sanch. l. 6. consil. c. 5. d. 9. Card. Lugo disp. 32. sect. 2. Diana par. 5. tract. 2. resol. 24.*

Illud observa cum *lul. Clar.* prædictum numerum testium in praxi non seruari, quando contra Cardinales Papa procedit. Idem de summo Pontifice asserit ad condemnandum illum duos testes sufficere. Cum enim ut *Glo. dicit inc. cit.* præsul sine comparatione aliorum effectus sit maior, meritò sine spe veniæ condemnandus est, sed hæc opinio temeritatis, & impietatis arguitur à multis *DD. apud Barb. c. cit.*

Iam in testamentis septem testes, in codicillis, 5. requiruntur. Similiter in donatione causa mortis, 5. ut debitor probeat debitum solutum, 5. de quo *V. Sily. v. testis n. 5. Bannez. q. 70. Azor. III. l. 13. c. 28. Sanchez l. 6. consil. c. 5. dub. II. Sily. v. testis n. 5.*

X. Vnus testis de visu, omni exceptione maior, semiplenam probationem facit, quæ in criminalibus ad torturam

sufficiat. *Glo. in l. si quis v. Conuictum. C. ad leg. lul. maieft. Clarus l. 5. q. 21. Gomez. c. 13. n. 7. Less. c. 29. d. 19.*

Idem iuris est, de teste qui de auditis, à se præsentium verbis, puta blasphemia, detractione, & similibus deponit: idem de aliorum sensuum propriis obiectis, in quibus non contingere errorem philosophi docent. Quando igitur testis de corpore delicti, & circumstantiis illius, tempore loco, & similibus deposuerit, probationem semiplenam facere censetur etiam in criminalibus. *Roderic. to. 18. tit. 11. c. 11. Armilla v. Testis n. 6. Spatbarius tract. 3. c. 6. Wesenbec. l. 22. tit. 5. n. 4. Sanch. l. 6. consil. c. 5. dub. 18. Zanger de tortur. c. 2. n. 16.*

Dixi de propriis sensuum obiectis, quia regulariter testis de sola credulitate non admittitur, nisi fortè in iis, quæ ceris & aliter cognosci nequeunt, vel coniectura sit aliqua verosimilis præsumptio. *Hippol. in singul. n. 19. & 83. Ferrar. præf. pag. 112. Barbos. in c. quoties de testib. ubi plures limitationes ponit Wesenbec. l. cit. Zerola par. I. v. testis n. 22.*

Quid verò tribuendum testi, qui absentium & à se non visorum, verba refert distinctè cognita & percepta peritius iudex discernat. *V. Sily. n. 4.*

XI. Qui vel de industria, vel ignorantia crassa, & affectata fallum testimonium dixerit, ad restitutionem omnium damnorum in solidum tenetur ex generali regula *Quicumque damni causa efficax fuit, restituendi necessitate tenetur.* Et damnum sarciri ab eo, qui de iudex curabit. *l. si liberti C. de administrat. tutor.*

Dixi Primò de industria, hoc est nul-



momentis errore, aut illusione, sed cum sufficienti noticia, & deliberatione. Secundo vel ignorantia affectata. Hanc enim non excusare à culpa passim Theologi docent. in 1. 2. ad q. 6. art. 4. V. Barb. in c. cum inhibitis de clandest. dispensatione.

Apud Iurisperitos verò ignorantia affectata pro scientia habetur. l. qui contra C. de incest. nupt. At ignorantiam inculpam excusare post alios probat Less. c. 7. dub. 9. Barb. in c. si vir. de cognat. Spru. Navar. c. 23. n. 45. Silv. V. Ignorantia n. 10. Armilla n. 8. Tolet. l. 5. c. 26. Azor. tom 1. l. 1. c. 14. Em. Sa. V. ignorantia Zerola par. 2. cod. n. 2. Saub. l. 9. de matrim. disp. 32.

XI. Ad restitutionem damnorum non obligatur testis 1. qui se ad testimonium terendum non obtulit. Ad hoc enim non nisi ex charitate, vel obedientia enetur. 2. qui ut sibi, & suis rebus consulat, à iudice vocatus non comparet, vel veritatem licito modo occultit. 3. qui quando nullum ipsi damnum imminet, à iudice citatus latet, vel iudicis interrogationem artificio aliquo eludit, à quibusdam DD. ad restitutionem damnatur, quia in eiusmodi eventu ad testandum ex iustitia obligari videtur. Reginald. l. 24. n. 163. probabilius tamen ad restitutionem non obligari eo quod ex sola charitate non verò iustitia teneatur. Hoc enim nisi valido argumento probetur acceptandum non est. Mandat iudex, ut testimonium dicam, video obediendum esse, nisi fecero peccatum: quod verò contra iustitiam sim acturus, non apparet Tanner. 111. disp. 4. q. 6. d. 1. n. 79. at inquis, si iudex mandaret mihi instrumentum ali-

quod vel scripturam, quæ necessaria est ad causæ defensionem, proferte, ex iustitia teneret facere, & non faciendo damnum inde consecutum compensare.

R. Dispar ratio est, quia scriptura cum res externa sit, de ea sit, disponere respublica potest, quemadmodum de aliis bonis externis, quando expedire iudicat.

4. Denique non tenetur ad restitutionem damnorum, qui postquam iuravit, se dicturum veritatem, non facit. Nam ex iuramento tali neque iudex, neque pars litigans ius nullam iustitiæ acquisivit. Peccatur autem tunc contra virtutem religionis, & obedientiæ Molina disp. 70. num. 3. Bonac. to. 2. p. 332. Less. c. 30. dub. 8. Raynaudus de monitorius. par. 1. c. 3. q. 24. Cardinalis Lugo contrariam opinionem, quæ contra iustitiã peccare teste existimat, qui abscondit se & negativè habet, nõ manifestando veritatem, ut satis probabilem laudat propter auctoritatem gravium Doctorum à quibus defenditur: inter quos est Domin. Soto l. 5. de iust. q. 7. art. 1. Mich. Salon. q. 70. art. 1. dub. 3. Navar. c. 25. n. 4. Zerola par. 2. V. Testis n. 4.

Nec ita à me postponitur alteri, ut à ratione prorsus alienam esse arbitret, sed absque magno incommodo sustineri potest.

XIII. Quod pœnam attinet, testis de petiitio convictus in causa criminali præsertim capitali, pœna talionis punitur l. 1. præterea sit. ad leg. Corn. de Sicariis. In causa civili punitur pœna l. Cornelia de falsis, quæ communiter est deportatio cum omnium bonorum publica-



publicatione. Ita puniendum dico, quando criminaliter actum est: at quando civiliter, ad satisfactonem tenetur parti læta. Sic olim, hodie pœna arbitraria in usu est, eaque varia secundum qualitatem personarum, & circumstantiarum, *Menochius casu 307. l. l. Clarus q. 53. Sylv. n. 9. Azor. 111. l. 13. c. 28. d. 12.*

Triplicem pœnam mereri falsum testem. *Decianus l. 6. c. 3. & Damhaud. c. 70.* tradunt eo quod Deum, indicem, & innocentiam lædat. Quæ verò trigemina illa pœna sit, minimè explicant, neque expeditum est: ne in aliis multis imò plerisque criminibus eandem multiplicationem recipere debeamus. Nam quicumque peccat, innocentiam lædit, Deum offendit & proximum, in iis, quæ manifesta sunt.

De Presbytero, & Diacono nominatum *Bernardus Diaz. in pract. sua c. 94.* pronunciat, si falsum testimonium dixerint, ab officii honore deponendos, & in monasterium detrudendos esse iuxta *Concl. Agathense relat. in c. si Episcopus dist. 50.* Quod intelligunt aliqui de crimine illo directè accusati, convicti, & damnati sunt: secus autem, si non constet via directâ, sed incidenter, puta per viam exceptionis, aut similem. Tunc enim nec deponendi, nec in monasterium detrudendi sunt, sed tantum à testimonio repellendi. Addit *Diaz. l. cit.* quamvis in civilibus & criminalibus causis prædicta pœna imponenda sit, gravius tamen puniendos, qui falsum testimonium in criminalibus fecerunt, præsertim ubi læci propter idem delictum pœna talionis puniuntur. Præte-

rea excusari à pœna ordinaria depositionis, &c. 1. si testificatio non sit nociva, extraordinaria tamen puniri posse. 2. quando falsitas est circa accidentalia causâ. 3. quando sine dolo commissa est. 4. si absque iniuria testatus sit. Denique si non per viam accusationis, sed inquisitionis procedatur. *V. Barb. in c. Falsidicus de crim. falsi Tholos. l. 48. c. 11. Damhaud. c. 124. Decianum l. 6. c. 13.* ubi variis pœnarum generibus enarratis, non minimam perituri testis esse infamiam notat: quæ tamen non ipso facto, sed post sententiam iudicis contrahatur ita ut infamis sit, & repellatur à testimonio ferendo, & qualibet dignitate: quod etiam *Wurmserus annotavit l. 1. tit. 47. obs. 25.*

§. 2.

## De iuramento testium.

I. Explorati iuris est, testem non nisi iuratum audiri: iniurari nullam fidem esse. *l. iurisiurandi C. de test. c. quotus e. licet 2. §. testes Glossa ibid. c. tuis questionibus c. nuper hoc tit. ubi nec religiosi excipiuntur. Discretè Innoc. 111. Bituntino Archiepiscopo scribens, Monachi inquit, de suis fratribus ac conuersis testes in causis propriis producere absque iuramenti exhibitione non possunt, nisi forte à parte remittatur aduersa. Et Honorius in c. nuper nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi.*

Porro iuramentum illud in principio examinis præstandum est. *c. fraternitatis*